

21,6.

Zur

öffentlichen Prüfung der Schüler

des hiesigen

Gymnasiums zu St. Maria Magdalena,

welche zum Beschlusse des Schuljahres

am 2. und 3. April

im grossen Hörsaale veranstaltet werden soll,

so wie

zu der Redeübung am 4. April

ladet ehrerbietigst ein

Dr. Carl Schönborn,

Director, Rector und Professor.



I. De cursu publico imperii Romani, vom Prof. Dr. Rüdiger.

II. Schulnachrichten, verfasst vom Rector.

Breslau, 1846.

Druck von Grass, Barth & Comp.

BRES (1846)

3 1

Öffentliche Prüfung der Schüler

Gymnasium zu St. Maria Magdalena

am 2. und 3. April

in der

Dr. Carl Schönborn

Lehrer

in der

1840

Dr. Carl Schönborn

DE CURSU PUBLICO

IMPERII ROMANI

SCRIPSIT

THEOPHILUS RUEDIGER,

PH. DR. ET GYMN. MAGDAL. PROF. III.

DE

CURSU PUBLICO IMPERII ROMANI.

Laudē artes ali, poetarum antiquorum opinio est, cui aliquam veritatis speciem sola concedit artium diversitas: quarum in magno numero licet unam atque alteram mera laude crescentem dignoscas, reliquas aureo rigatas rore laetiora capere incrementa reperies. Certe quibus nostra aetas gloriatur artium inventa pleraque sagacitati potius lucri stimulis concitatae, quam sapientiae non nisi laudis honorum avidae merito tribuuntur. Nota sunt in vulgus, quae huc pertinent, machinamenta multiplicis generis, quorum alia fluentis aquae, alia venti, alia jumentorum, alia et humanae ipsius diligentiae vice funguntur: quicquid enim opificii semper eodem modo fit, eo machinatores nostri potiti hominum operam supervacua reddunt. Eosdem, quod longe gravissimum est rebusque humanis ingentem conversionem minatur, Cursum quoque publicum videmus invasisse, adeo ut equorum laudi jam officiat rhedarum concita aestu ferventis aquae velocitas. His tamen prodigiis nunc immorari non lubet, sed mentem eorum contemplatione praestricam tenuiorum potius aspectu recreare: simul operae pretium facturi nobis videmur, si magnis parva comparantes Cursus publici apud Romanos originem et rationem ante oculos posuerimus: non quo notrae aetatis inventa antiquis juxta positis clarius exsplendescant, sed quia senescentis imperii Romani historiam cognoscere cupientibus utilitatis aliquid inde proventurum existimamus.

Cursus publici apud Romanos originem eandem fuisse deprehendimus, quam longo ante tempore apud Persas et apud nos multis post seculis, non populorum utilitatem, sed eam quae reges urgebat necessitatem, nuncios et jussa per suae ditionis provincias transmittendi et quicquid ubique gereretur cognoscendi,

ut citius certiores facti celerius etiam, quod ubique opus esset, praescriberent. Augustus, dominandi eximius artifex, pace armis parta vastissimique arreptis imperii gubernaculis brevi intellexit, tantae moli regendae pristinum jam non sufficere instrumentum novaque sibi comparanda esse subsidia. Stratae erant viae publicae et militares inde ab urbe Roma quoquoversum in provincias ducentes: magnam enim Romani in viarum munitione curam posuerant, non tam populorum commerciis, non curiosorum divitumque peregrinationibus, non denique communi omnium commodo consulentes, quam bellorum continuorum necessitate coacti, ut militibus impedimentisque in omnes regiones vel subactas vel subigendas expedita paterent itinera. Augustus igitur rerum potitus, quod gubernationi tanti imperii imprimis necessarium erat, jam paratum invenit: cujus prudentiam quum non fugeret, quanti fructus inde redundaturi essent, summa cura vias a majoribus munitas instauravit novosque aggeres publicos prioribus addidit, ita ut viae publicae et militares ab urbe Roma exeuntes laqueorum instar totum imperium ad ultimos usque terminos irretitum tenerent. Ipse autem Romae tanquam in medio orbe residens, lictores, statores, apparitores, quibus ante eum consules alique magistratus nunciis uti consueverant, jam non satis celeres satisque tutos ratus, expeditius aliquid et promptius, quodque longinquis provinciarum intervallis magis conveniret, substituendum censuit. Itaque primo Persarum exemplum secutus juvenes per vias publicas certis stationibus praesto esse jussit, qui litteras datas invicem et acceptas, quo opus esset, perferrent: deinde vehicula quoque et animalia addidit. Fidem facit Suetonius, ¹⁾ qui Augustum narrat, *quo celerius ac sub manum annunciari cognoscique posset, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula disposuisse.* Haec ille de *Cursus publici* origine: quomodo autem hic postea amplificatus sit qualisque fuerit ejus procuratio, neque ex Suetonio, neque ex aliis, qui post illum res Romanas scripsere, auctoribus satis perspicitur. Hi omnes enim *Cursus publici*, ut rei lectoribus cognitae, obiter tantum et necessario mentionem faciunt. Praestat igitur statim ad fontem uberiores accedere, Augustorum edicta, quae tametsi nobis et ipsa haud pauca desideranda relinquunt, tamen lineamenta praebent et colores, qui-

¹⁾ c. 49.

bus imago non plane confusa et improbabilis adumbrari possit. Reliquorum auctorum testimonia, quippe quae ex parte tempore quidem priora, tamen non nisi a *sacris Augustorum oraculis* ¹⁾ lucem brevitati suae necessariam accipiunt, quoties occasio se obtulerit, adhibebimus.

Non in omnibus viis publicis et militaribus Cursus publicus dispositus fuit, sed in iis tantum, quae inde ab urbe Roma et post Constantinum a Constantinopoli quoque ad insigniores provinciarum civitates directae erant, vel ex aliqua causa graviori visae sunt dignae; quae celerioris et tutioris personarum et rerum transvectionis copiam praeberent, vel denique in portus celebriores amnesve navigabiles exitum habebant: nam per flumina quoque et maria Cursus publicus, ubi id necessarium vel compendiosum erat, navibus continuabatur. ²⁾ Rursus viae non ex alia in aliam civitatem, item transversae non in locum aliquem celebriorem, item viae extremae ad imperii limitem nationesque exteras directae Cursu pleraeque carebant.

In viis Cursu publico instructis stationes erant duplicis generis, *mutationes* et *mansiones*. In utrisque stabula disposita erant cum animalibus et pabulis, simul et vehicula: differebant autem mutationes a mansionibus eo, quod in illis animalia tantum mutabantur, in his et animalia mutabantur et deverticula erant, ubi iter facientes vel pernoctare vel diutius commorari possent: nocturni enim cursus vestigium vix usquam detegitur, ita ut non nisi raro locum habuisse videatur. Itaque in eadem via longe pauciores erant mansiones quam mutationes. In mansiones devertebant non solum Praesides provinciarum aestivo tempore *Transitum* ³⁾ per provincias sibi traditas facientes, item reliqui magistratus et quicumque alii in causa publica commeantes, verum et ipsi Principes: his enim propria in civitatibus et mansionibus Palatia condita ⁴⁾ erant, quorum apud scriptores illius aevi passim mentio fit. Iter publice facientes in mansio-

¹⁾ Ipsi Imperatores jussa sua appellant *sacros apices, leges sacras, sanctiones sacras, constitutiones sacratissimas, judicia sacra, sacras litteras, coelestia oracula, divina oracula, divales sanctiones, divalia scita, divalia statuta, sanctiones saluberrimas, aeternas, perennes* et similia.

²⁾ De navibus publicis v. tit. de Naviculariis et sq. C. Th. (XIII. 5 et sq.) adde Apollin. Sidonii Ep. I. 5. cum notis Sirmondi (in Sirmondi Opp. Venet. 1728. T. I. p. 472) et Cassiodori Var. I. 31.

³⁾ l. 4. 5. C. Th. de Officio Rectoris Provinciae. (I. 7.) *Transitus est discursus per omnia oppida vicosque provinciae.*

⁴⁾ cf. Tit. C. Th. ne quis in Palatiis maneat. (VII. 10.)

nibus non solum Cursum accipiebant, sed etiam, quibus competeabant, annonas. ¹⁾ Propterea in mansionibus et horrea erant, in quibus *capitum* ²⁾ et *species annonariae et cellarienses* ³⁾ multiplicis generis condebantur. Itaque mansiones plerumque in civitatibus, oppidis vel vicis erant, praeterquam in regionibus rarius habitatis, ubi oppidis vicisque nimio intervallo distantibus, mansiones propriae exstructae erant. Per Orientis partes quasdam in mansionibus collocandis non solum oppidorum et vicorum, sed etiam aquae fontium ratio habita est, ut mansiones aedificarentur in iis locis, quae aquarum copiam praeberent. ⁴⁾ Animalia erant in stationibus equi, et quidem *veredi*, ⁵⁾ muli mulaeve, boves, asini, in quibusdam Orientis partibus et cameli. ⁶⁾ Sed pro regionum diversitate non in omnibus stationibus omnia ista jumentorum genera habebantur: in multis enim asini nulli, in aliis, velut montuosis, asperis et saxosis *veredi* tantum et asini erant. His animalibus addita erat, quae eorum simul et vehiculorum curam haberet, commeantes ex alia in aliam stationem comitaretur atque animalia quae quisque *moverat*, in sua stabula reduceret, servorum publicorum *familia*, muliones, hippocomi, quorum singuli ternis *veredis* praeerant, mulomedici, carpentarii seu vehiculorum opifices, quibus omnibus alimonia et vestimenta ex horreis fiscalibus praebebantur. ⁷⁾

Cursus publicus erat aut *velox* aut *clabularis* seu tardus: *velox* fiebat aut *veredis* aut *carpentis*. *Veredi* plerumque non singuli, sed bini movebantur, quorum alteri *veredarius*, hoc est, qui *veredi* copiam habebat, alteri, qui *parhippus* vocabatur, mulio insidebat *avertam* instrumento *veredarii* plenam post

¹⁾ Symm. Ep. VII. 96.

²⁾ *καπητόν*, pabula.

³⁾ hominum esui et potui.

⁴⁾ Plin. N. H. VI. 23. (ed. Harduin. Par. 1723. f. T. I. p. 327. 18.)

⁵⁾ *Veredus* est equus celer sessori adsuetus. Martialis Epigr. XII, 14 et XIV. 86. Ante Martialem illud vocabulum nusquam legitur, sed quam vim ei poeta tribuit, eam postea retinuit semper, neque, quod nonnulli perhibent, *veredis* unquam quicquam cum *rhedis* praeter aliquot elementa commune fuit. Alia hujus vocabuli exempla haud multo recentiora exstant apud Hyginum Gromaticum (c. Trajani temp.) de Castrametatione (ed. R. H. S. [i. e. Schelius] Amstelod. 1660. in 4.) ubi tribus locis inter Romanorum copias equestres etiam *Pannonii veredarii* memorantur; unde Germanicam potius vocabuli originem suspiceris.

⁶⁾ Plin. N. H. d. l.

⁷⁾ l. 31, 34, 50. C. Th. de C. P. (VIII, 5.)

tergum habens. Quodsi una averta veredario non sufficiebat, ipse alteram veredo suo imponere poterat. Avertae pondus primo triginta, dehinc triginta quinque librarum erat. Denique circa Theodosii M. tempora veredi onus usque ad centum ferme libras auctum est. Antea enim equi non nisi stragula veste sternebantur: tunc autem sellarum equestrium usus increbuit: cumque opifices rei novae nondum satis periti sellas haud raro immodici ponderis conficerent, lege sancitum est, ne sella cum frenis sexaginta libras transiret: sella enim non publice dabatur, sed veredarii erat. Veredariis nonnunquam plures parhippi, *avertariorum* nomine, concessi fuere, qui centenis pondo onerari poterant. A nulla mansione una die ultra quinque movebantur veredi, qui numerus postea ad sex auctus est. Ceterum ex omni Cursus publici genere veredi longe frequentissime usurpati fuere. ¹⁾

Carpenta pro dignitate personae et pro onere injciendo magnitudine differant. Horum memorantur tria genera: rheda, carrus, birota. Rheda, cujus onus legitimum erat mille pondo, aestivo tempore octo, hiberno decem mulis vel mulabus ²⁾ jungebatur, unaque tantum quotidie a mansionibus singulis dimittebatur: plures enim una die exhiberi lege vetitum erat. Birotis trinae mulae jungebantur. De numero mularum carro jungendarum nihil constat: quot carros vel birotas una die moveri licuerit aequae incertum est. Carro librae sexcentae, birotae ducentae imponebantur. ³⁾

Cursus clabularis seu tardus uno vehiculi genere quod *clabulare* vocabatur, fieri solebat. Erat hoc ad majora onera sustinenda e fortioribus lignis minus affabre factum, nec mulis sed bobus non ultra quatuor jungebatur. Legitimum onus erat librarum mille quingentarum. Clabulare bobus junctum saepe etiam *angaria* appellatur. ⁴⁾

¹⁾ l. 8, 14, 22, 27, 28, 30, 35, 47. C. Th. de C. P. — Leges tit. Cod. Justiniani (XII, 51.) de Cursu P. e Cod. Theodosiano desumptae pleraequae misere interpolatae sunt: earum rationem habere raro potuimus, quum interpolatio ista ad ultima Cursus publici in Oriente tempora pertineat. Veluti in hoc de veredis capite Cod. Justinianus non senos sed denos quotidie veredos dimitti, avertas non triginta vel triginta quinque sed sexaginta librarum singulis veredis imponi permittit.

²⁾ Rhedas cursuales prioribus temporibus et pro diversitate provinciarum, item extra Cursum publicum non mulis tantum sed etiam equis jungi solitas, dubitari vix potest. Verum in hac re sola imperatorum edicta secuti sumus, quae carpentis non equos, sed mulos vel mulas tribuunt.

³⁾ l. 8, 17, 28, 30, 35, 40, 47. C. Th. de C. P.

⁴⁾ l. 11, 28, 30, 45. C. Th. de C. P.

Cursus publicus quum non ubique ad extremas usque Imperii partes pro-
tenderetur, ultimam viae publicae mansionem inter et limitem majus minusve
intervallum Cursu destitutum restabat, nec erat in interioribus provinciarum
partibus per vias transversas cursu carentes, unde Imperatorum nunciis *Agenti-
bus in rebus*, ad militem movendum, ad *exsecutionem*, vel ad aliam necessi-
tatem publicam expediendam missis, velocius meandi copia fieret. Itaque ut
Agentibus in rebus, militum ducibus ad limitem missis et legatis exterarum
gentium ad Comitatum proficiscentibus vel inde redeuntibus aliquo modo sub-
veniretur, magistratibus oppidorum, ubi Cursus publicus deficiebat, injunctum
erat, ut, quibus competerent, veredos aut clabularia cum bobus a provincialibus
exigenda praestarent: qui veredi, ut a *cursualibus* distinguerentur, *paraveredi*,
item clabularia bobus juncta *parangariae* appellabantur. Rhedae, carri, birotae
non dabantur. Paraveredi ferme non nisi Agentibus in rebus ad jussa Augu-
storum perferenda vel exsequenda, Ducibusque militaribus ad excubias prope-
rantibus vel inde redeuntibus concedebantur. Parangariae ad vestes militares,
annonas, alia bello necessaria, aut legatorum impedimenta transvehenda exige-
bantur. Paraveredi ne deessent, simulque ad veredos Cursus publici supplen-
dos aliasque necessitates publicas, *agmina* equorum in civitatibus alebantur.
Ex iis praeterea agminibus Imperatori cum Comitatu iter facienti sufficiens
equorum copia in omnibus stationibus extra ordinem praestabatur. Ipsi para-
veredi nonnunquam *agminales* equi vocantur. Ceterum paraveredorum et pa-
rangariarum praestatio quum provincialibus esset inprimis onerosa Praesidumque
et Officialium iniquorum vexationibus in civium perniciem verti posset, Augu-
storum sollicitudo nihil sibi reliquum fecit, quo omnem illis abutendi libidinem
refrenaret, ita ut praeter Agentes in rebus, Duces militum et Legatos vix quis-
quam hanc Cursus extraordinarii copiam sine legum contemptu consequeretur. ¹⁾

Cursus publicus imperii Romani semper fuit gratuitus neque ullum unquam
fructum ex se edidit, et quamvis *fiscalis* appellatus Principisque auspiciis a
magistratibus procuratus, tamen sumptu non fisci, sed populorum sustentatus
deprehenditur, ita ut provincia quaeque stationibus suis necessaria praeberet.
Augustum credere debemus exegisse ab incolis eorum locorum, per quae via

¹⁾ l. 3, 6, 7, 15, 59, 63, 64. C. Th. de C. P.

ferebat, praestationem jumentorum vehiculorumque, quibus nuncii ab eo missi vel ad eum redeuntes proveherentur: quam *Cursus* publici rationem Galbae imperatoris temporibus adhuc stetisse Plutarchus testatur: ¹⁾ tunc enim magistratus municipales iter cum diplomate facientibus jumenta, vehicula aliaque necessaria praestare derepente coacti erant. Neque stabula, neque jumenta, neque pabula, neque quicquam aliud in stationibus jugitur paratum cernitur, sed omnia, cum opus est, trepide conquiruntur. Sequentium temporum monumenta docent, quam molestum ac fere intolerabile hoc provincialibus onus fuerit, quantisque vexationibus ansam dedit. Tamen ante Nervam nullum oneris sublevati apparet vestigium: hunc enim *Italiae remisisse vehiculationem* peculiaris nummus in ejus laudem cusus testatur. ²⁾ Is igitur putandus est primus stabula per Italiam aedificari, ibique jumenta et alia *Cursui* necessaria parata haberi jussisse, ut magistratus vicorum et oppidorum tumultuaria praestatione liberarentur: nam *Cursus* publici sumptum tunc ad fiscum translatum esse, credere nos vetant, quae de successoribus ejus referuntur. Certe hoc Nervae jussum Italiae soli profuit. Adrianus ³⁾ *Cursum* fecisse *fiscalem* narratur: similia de Antonino Pio ⁴⁾ et de Severo ⁵⁾ relata legimus. Quae scriptorum dissensio mira videri non debet consideranti, non unius sed plurium deinceps imperatorum opera ad novam hanc *Cursus* publici formam per omnes imperii provincias stabiliendam opus fuisse.

Administrationem igitur solam ab his imperatoribus ita ordinatam fuisse intelligimus, ut a provincialibus eorumque magistratibus, quae molestissima erat, removeretur *Cursus* publici repentina exhibitio: a provincialibus enim mancipia, jumenta, pabula, denique omnia *Cursui* sustentando necessaria postea quoque certis temporum intervallis collata esse Principum edicta demonstrant. Ac primum stabula non publicis, sed provincialium impensis exstrui solita. Nam

¹⁾ in Galba c. S. (ed. Schaefer T. IV. p. 244. 23.)

²⁾ Eckhel Doctr. Numm. Vet. VI. p. 408.

³⁾ Ael. Spartianus in Adr. c. 7.

⁴⁾ Jul. Capitolinus in Ant. P. c. 12.

⁵⁾ Ael. Spartianus in Severo c. 14. — Arcadius Charisius Ictus, qui Severi imp. tempore vixit, l. 18. § 21. D. de munerib. et honor. (L. 4.) haec habet: Patrimoniorum autem munera duplicia sunt: nam quaedam ex his muneribus, possessionibus sive patrimoniis indicuntur, veluti agminales equi, vel mulae, et angariae, atque veredi. — Quae Arcadius h. l. refert, ea postea quoque rata fuere.

publico sumptu exstrui, id vero Imperatores *contra rationem esse* perhibent, quum provincialium sumptu *citius arbitrentur apparanda, quos stercus animalium pro suo solatio habere* ¹⁾ concedunt. Cursum porro veredarium provinciales ita sustinebant, ut certis temporibus aut quartam partem equorum repararent, aut saltem in locum *evectorum*, hoc est, eorum, qui vel senio confecti vel alia causa laboribus inhabiles facti essent, recentes substituerent. ²⁾ Pabula quoque provinciales jumentis cursualibus praebebant, sed adaerata saepius, quam ipsas pabulorum species. ³⁾ Idem supplesse muliones produntur. ⁴⁾ Clabularii cursus non ubique eadem ratio fuit, quum in aliis provinciis boves publicos in stabulis paratos, in aliis derepente a provincialibus adductos videamus. ⁵⁾ Hoc tamen dubium non est, boves quoque non a fisco, sed a provincialibus praestari solitos.

Cursu publico uti non licebat, nisi permissu aut jussu Principis vel summorum Imperii magistratuum. Litterae, quae comitantibus Cursus copiam faciebant, vocabantur *Evectiones, Tractoriae*. ⁶⁾ Sub prioribus imperatoribus usque ad Constantini fere tempora eadem litterae *Diplomata* nominabantur, quod vocabulum, ut nimis vagum, quippe quod non unius generis litteras ab imperatoribus emissas significabat, postea rarius usurpatum paulatim in desuetudinem abiit, quum necesse visum esset, diplomata quibus Cursus publici copia cuiquam fieret, proprio nomine insigniri. Dehinc et ipse Cursus publicus saepe appellatus est *Evectio*.

Evectiones primo et ab imperatoribus et a magistratibus non unius gradus dignitate conspicuis datas esse certum est. Trajani temporibus Praesides quoque provincialium et *Evectiones* emisisse et Cursum usurpasse legimus. ⁷⁾ Sed

¹⁾ l. 34. C. Th. de C. P., l. 7. C. Just. cod. tit.

²⁾ l. 34. C. Th. de C. P.

³⁾ l. 60, 64. C. Th. de C. P., l. 9. ib. de Annona et Tributis. (XI. 1.)

⁴⁾ l. 34. C. Th. de C. P.

⁵⁾ l. 21. C. Th. de C. P., l. 5. ibid. de Curiosis. (VI. 29.)

⁶⁾ *συνθήματα*, rarius *combineae*. De combinis cf. Salmasium, ad Pertinacem Imp. c. I. (in Hist. Aug. Scriptor. Lug. Bat. 1671. Vol. I. p. 531.)

⁷⁾ Plin. Ep. X. 31. 59. 60. Videntur illo tempore Imperatores quotannis certum numerum diplomatum per provincias misisse, quibus praesides in causis publicis vel ipsi uterentur, vel alios adjuvarent. Diplomata, quorum dies praeterita erat, non observabantur: mortuo imperatore diplomata ejus nomine scripta in irritum recidebant. Tac. Hist. II. 54. 65.

haec Praesidum potestas non diu valuit: multiplicato enim abusu e republica visum est, eorum licentiam coercere. Neque Praesides tantum ante Constantinum M., sed etiam Vicarios, Magistros militum, Duces, Comitesque rei militaris Cursus potestatem habuisse Imperatorum Edicta eam iterum iterumque sublatam declarantia satis ostendunt. ¹⁾

Denique Evectionum faciendarum jus Imperatores iis magistratibus solis reliquerunt, qui totius reipublicae administrandae tanquam culmina existimabantur. Erant hi Magister Officiorum, in Comitatu assidue praesens, qui Imperatoris nomine, et Praefecti Praetorio singularum Imperii dioeceseon, qui suo nomine Evectiones dabant: eodem privilegio, verum identidem coarctato, Praefecti Urbium Romae et Constantinopoleos usque ad Honorii tempora usi sunt. ²⁾ Neque post Constantinum M. demum, quo regnante reipublicae administratio adeo immutata est, ut merito ab ejus accessu ad imperium novus rerum ordo incipiat, sed multis ante annis reliquis omnibus Dignitatibus, non tantum Spectabilium, sed etiam Illustrium virorum, Evectionum facultas adempta est. ³⁾

Attamen Vicariis et Praesidibus, ne Cursu publico penitus denegato, expediendis necessitatibus publicis minus diligenter prospicerent, Evectiones, quot sufficere posse videbantur, annuae, et Vicariis quidem, ut Illustribus, ab ipso Imperatore, sua manu, denae vel duodenae, Praesidibus autem, ut Spectabilibus, non ab Imperatore, sed a Praefecto Praetorio binae quotannis concedi solitae, non quibus ipsi uterentur, sed quibus in negotiis ad rempublicam pertinentibus, *necessariis ex causis*, Officiales suos ad remotiores provinciarum suarum partes dirigerent. ⁴⁾ Ipsi enim, quum annonae illis et capitum jumentis eorum ex horreis publicis praeberentur, suis animalibus vecti iter vel Transitum facere debebant. Praeterea Imperatores his praeter binas illas etiam

¹⁾ l. 5, 12, 38, 40, 43, 52, 56, 57, 61, 62. C. Th. de C. P.

²⁾ l. 19, 55. C. Th. de C. P.

³⁾ Dignitatum, duntaxat earum, quae huc pertinent, ordo hic est:

Illustres sunt: Praefecti Praetorio, Praefecti Urbium Romae et Constantinopoleos, Magistri militum, Magister Officiorum (qui et Comitativam h. e. Comitum dignitatem habet), Comes Sacrarum Largitionum (Finanzen), Comes Rerum Privatarum (Kais. Privat-Domänen).

Spectabiles sunt: Proconsules, Comes Orientis, Praefectus Augustalis (Aegypti), Vicarii, Comites rei militaris, Duces (militum).

Clarissimi sunt: Consulares, Praesides provinciarum (seu Rectores prov., seu Judices).

⁴⁾ l. 12. C. Th. de C. P.

alias concedere solebant singulas eo consilio, ut nuncios suos his munitos dimitterent, si quid necessario ad Principem esset referendum: quarum relationum ad Principem semper praecipua ratio habita, ita ut earum gratia Cursus publici copia haud facile denegaretur. ¹⁾

Praeterea definitus erat Augustorum Edictis modus, quo cuique pro sua dignitate Cursus exhiberetur. Ejus temperamenti in Augustorum Edictis aliquot reperiuntur exempla: veluti Vicario per Syriam, ubi rhedarum usui vix locus erat, iter facienti veredi decem, asini triginta conceduntur, ²⁾ Comitibus rei militaris e Comitatu proficiscentibus veredi quatuor cum parhippo, item Tribunis militum terni veredi. ³⁾ Denique certum modum Cursus publici usurpandi praescriptum videmus Agentibus in rebus, quorum obsequio Imperatores longe frequentissime utebantur. Erant hi ex eorum numero, qui in Sacro Palatio militabant, pro stipendiorum numero et laborum meritis diversi gradus, a Magistro Officiorum non sine Imperatoris assensu in *Scholam*, hoc est collegium seu consortium, Agentium in rebus assumti, et licet eorum militia non armata, hoc est bello destinata esset, tamen chlamyde et balteo conspicui. Hi Principum jussa quorsumcunque perferebant et ex provinciis magistratuum responsa et gesta publica ad Comitatum referebant: mittebantur etiam *ad movendum militem, ad executionem* jussorum Principis, Praesidibusque provinciarum eorumque Officiis *imminebant*, ubi fiscalium debitorum exactio necessaria videbatur. ⁴⁾ Quorum ministerium quum reipublicae imprimis utile esset, iis quodocumque publicae utilitatis causa iter faciebant, bini veredi exhibebantur. ⁵⁾ Vulgus eos, quia in viis publicis saepissime conspiciebantur, veredarios appellare consuevit, licet veredarii vocabulum non Agentem in rebus, sed quemcunque Cursus publici veredo utentem significet. Rhedis aliisque carpentis uti olim et Agentibus in rebus, sed post Constantinum paucis tantum personis altiori dignitate ornatis licuit.

Praeter illos magistratus civiles et militares Cursus publicus vel sine Electione patebat iis, qui ab Imperatore acciti ad Comitatum proficiscebantur vel

¹⁾ Symm. Ep. X. 44.

²⁾ l. 38. C. Th. de C. P.

³⁾ l. 49. C. Th. de C. P.

⁴⁾ cf. Tit. C. Th. de Agentibus in rebus.

⁵⁾ l. 7, 9, 14, 49. C. Th. de C. P.

inde redibant, omnibus etiam Legatis tam ab exteris gentibus, quam ex provinciis civitatum nomine, vel a Senatu Romano missis: ¹⁾ *acclamationes* quoque populi Romani Cursus publici ope ad Imperatorem referebantur. ²⁾

Quamquam Cursus publici suprema lex erat, ut non nisi ad necessitates publicas expediendas usurparetur, tamen ab Imperatoribus haud raro etiam privatis ³⁾ concessus fuit: verum eo privatorum nomine non omnes a negotiis publicis alieni comprehenduntur, sed ii tantum, qui honoribus perfuncti erant, quique potestate desposita dignitatem tamen, *Honoratorum* numero adscripti, retinebant. Quinetiam iis, qui cassos honores, Consulatum vel Praeturam auspicientes populo *Editiones* seu *munera*, hoc est spectacula, exhibere debebant, ad comparandos ursos, pantheras, leones, equos aliaque animalia, Cursus publici subsidium non defuit, ne populus advectionum tarditate debitis statuto tempore voluptatibus privatus seditiones moveret. ⁴⁾ Caveas etiam cum feris ad Principum editiones conquisitis Cursus publici ministerium ad Comitatum transvehat. ⁵⁾ Nonnunquam episcopis quoque ad synodos properantibus *Evectiones* datae sunt. ⁶⁾

Clabularia quum minus affabre facta essent, quam Cursus velocis carpenta, transvehendisque rebus ponderosis potius quam pretiosis apta, bobusque, non mulis, juncta tardius procederent, non virorum dignitate aliqua civili vel militari insignium itineribus destinata fuisse facile intelligitur. Itaque clabularis Cursus Officialibus tantum, praesertim Palatinis, et militibus post emerita sti-

¹⁾ l. 9. C. Th. de re militari. (VII. 1.), l. 9. C. Th. de legatis. (XII. 12.), l. 57. C. Th. de C. P. Me-
nander in Excerptis Legat. ed. Bonn. 1829. p. 360. D.

²⁾ l. 32. C. Th. de C. P.

³⁾ Jam Augustum privatis nonnunquam peculiare ob causas diplomata seu evectones dedisse, e Senecae
libro primo de Clementia discimus, ubi Augustum narrat, quoscunque ob adulterium familiae suae damna-
set, adeo non occidisse, ut dimissis (h. e. in exilium missis), quo tutiores essent, diplomata daret, c. 10.

⁴⁾ Symm. Ep. II. 46. IV. 6. VII. 48, 105, 106. IX. 25.

⁵⁾ l. 2. C. Th. de Tractoriis et Stativis. (VIII. 6.)

⁶⁾ De Constantio imperatore, Arianis favente, Ammianus Marc. narrat XXI. 16, 18: Christianam religionem
absolutam et simplicem anili superstitione confundens: in qua scrutanda perplexius, quam componenda
gravius, excitavit discidia plurima: quae progressa fusius aluit concertatione verborum: ut catervis an-
tistitum jumentis publicis ultro citroque discurrentibus per synodos, quas appellant, dum ritum omnem
ad suum trahere conatur arbitrium, rei vehiculariae succideret nervos. — Sulpicii Severi Hist. sacrae
II. 42. 1.

pendia domum cum suppellectili redeuntibus dabatur, ita quidem, ut litterae *dimissoriae* ipsae bene meritis Tractoriae loco essent, quibus ostensis et *humanitatem*, hoc est victum, et *Cursum* acciperent. ¹⁾ *Caritatibus* etiam seu *necessitatibus*, hoc est uxoribus et liberis servisque militum in longinquo Imperii limite excubias agentium, ne hi diutius illis privarentur, advehendis aliquando permissus est. ²⁾ Rarius milites ex aliis in alias excubias, ac tum demum cum celeritate non opus erat, transvecti sunt, quod rhedis potius, ac multo etiam rarius fiebat, ne *Cursus* attereretur. Legatis quoque peregre venientibus ad impedimenta transvehenda, ubi *Cursus* velox in propinquo non erat, angariae et parangariae exhibebantur. ³⁾ Angariae non nisi singulae, binae autem si aegri simul transferendi essent, moveri poterant. ⁴⁾ Ceterum clabulari *Cursu* utentibus socium assumere *ad vitae tutelam et laborem ad eundem itineris pro solatio* licebat. ⁵⁾ Longe frequentior clabularium usus fuit ad *Species Sacrarum Largitionum* vel *Rerum Privatarum* sive ad *Comitatum* sive ad mansiones et militum castra transvehendas, hac quidem differentia, ut clabularia, certe a Theodosii M. inde temporibus, *Species* minus pretiosis, veluti ferro, larido, frugibus, coriis, vestibus militaribus, rhedae autem vel carri *Cursus* velocis pretiosioribus, velut auro, argento, vestibus lineis et delicatioribus *Sacro Palatio* destinatis onerarentur. ⁶⁾

Evectionum faciendarum potestatem perpaucis magistratibus tributam fuisse supra vidimus. Tamen unum genus Evectionum erat, quod ad illos quoque pertinebat, qui alias *Cursum* publicum neque ipsi usurpare, neque aliis dare poterant. Quoties enim de illatione vel transvectione *Specierum Largitionarium* agebatur, Praefecti Urbis, Vicarii, Vicariisque absentibus vel procul morantibus Praesides quoque provinciarum Tractorias facere legitime poterant. Ubi nervo administrationis refecto opus erat, Comes Sacrarum Largitionum *Brevem*, hoc est indicem *Specierum* necessariarum ad illum et illum Vicarium

¹⁾ cf. Tit. C. Th. de Tractoriis et Stativis.

²⁾ Ammian. Marell. XX. 4. 11., ib. 8. 22. XXI. 13. 7.

³⁾ l. 17. C. Th. de C. P.

⁴⁾ l. 11. C. Th. de C. P.

⁵⁾ l. 4. C. Th. de C. P.

⁶⁾ l. 48. C. Th. de C. P.

vel provinciae Praesidem mittebat, qui Tractorias scriberet movendis Cursus velocis aut clabularis vehiculis, quibus Species ex aerariis et horreis provincialibus, ubi omnia a civibus quotannis secundum Canonem illata condebantur, ulterius sive ad militum castra et praesidia, sive ad alias civitates vel mansiones, sive ad Comitatum Principis transvehebantur. Si Vicarius in provincia aderat, Evectiones ipse dabat, sin minus, a Praeside emittebantur. Harum auctoritas non solum in ejusdem Praesidis provincia, sed etiam in aliis valebat, ita ut si rhedae vel angariae Speciebus onustae in civitatem venissent, ubi Vicarius moraretur, is vel novam Evectionem dare vel priorem a Praeside datam dimittere posset, quae dein usque ad vecturae terminum sufficiebat. Vehiculis singulis *Prosecutores* dabantur duo vel ad summum tres e Palatinis plerumque Sacrarum Largitionum cum tribus servis, avertis quinquagenarum librarum et sagis. ¹⁾

Evectiones a Principe, Magistro Officiorum Praefectove aliquo Praetorio in causa publica proficiscentibus, vel post militiam ad sua redeuntibus, vel privatis, vel denique Prosecutoribus Specierum a Vicario vel Praeside datae omnia continebant Cursus publici et mansionum Praepositis scitu necessaria, quae appellabantur Evectionis *Series*. Itaque currentis nomen et dignitas vel Officium, Cursus genus, velocis an clabularis, rhedane an carrus birotumve, veredi duo an plures, an cum avertariis, an et paraveredi, angaria una an duae, an et parangaria moveri posset, dierum quibus Evectio valeret numerus, itineris per mansiones descriptio, *Stativa* seu requiescendi loca et tempora, annonariae species, si cui debebantur, quales et quantae e mansionum horreis expromendae: haec omnia definiebantur Evectionis Serie. ²⁾

¹⁾ l. 13, 18, 20, 33, 40, 48. C. Th. de C. P.

²⁾ Evectionis exemplum habet Baronius Annal. T. III. p. 122 (ed. Rom. 1592) ad annum 314:

Petronius, Annianus et Julianus Domicio Celso Vicario Africae.

Quoniam Lucianum, Capitonem, Fidentium et Nasutium Episcopos, et Mammarium presbyterum (erant hi Donatistarum coryphaei), qui secundum coeleste praeceptum domini Constantini, Maximi, invicti, semper Augusti, ad Gallias cum aliis legis ejus hominibus venerant, dignitas ejus ad lares proprios venire praecepit: angariam his cum annonaria competentia usque ad Arelatensem portum, secundum imperatum aeternitatis eiusdem clementissimi Principis dedimus, frater, qua inde Africam navigent: quod solertiam tuam litteris nostris scire conveniat. Optamus te, frater, felicissimum bene valere.

Marculfus, qui multis annis post Cursus publici interitum vixit (c. med. sec. VII.) inter eas, quas collegit, Formulas (ed. Bignon. Par. 1665. I. 11.) etiam Tractoriam habet, quae nisi ultimis Cursus pu-

Cursus publici custodiam agebant varii et Officiales et magistratus, quorum infimi erant *Mancipes*, qui et Praepositi et Procuratores Cursus publici vocabantur. Hi *familiis* mansionum et mutationum praecerant, Cursum Evectione ambulantis inspecta exhibebant, curabant ut animalibus pabula, mulionibus ceterisque servis annonae et vestimenta praeberentur: in quibusdam provinciis et animalia suo periculo coempta *praeparabant*, ¹⁾ subtracta animalia mulionum ope redhibere debebant et prospicere, ne *superducerentur*, ²⁾ ne commeantes Cursus publici leges ullo modo transgrederentur, neve fisco damna inferrentur. Sumebantur Mancipes ex emeritis seu veteranis missione donatis Officii cujusque Praesidis seu Judicis, atque ab eodem *probabantur*, ³⁾ mancipatum per quinquennium gesturi, neque cuiquam Officiali emerito munus illud declinare licebat. Quinquennio completo *Perfectissimatus* ⁴⁾ dignitate donati ab omni necessitate publica vacabant. At non ubique Mancipes ex Officialium numero sumebantur: non enim ubique emeritorum Officialium copia suppetebat: tum ex

blici temporibus debetur, saltem haud multo post ad veteris Tractoriae exemplum videtur esse conscripta. Eam non sine voluptate legimus, ac ne benevoli lectoris genius aliquid sibi negatum queratur, ejus exemplum infra scripsimus:

Tractoria legatorum vel minima facienda ad istius instar.

Ille Rex, omnibus Agentibus. Dum et nos in Dei nomine Apostolicum Virum illum, nec non et Illustrem Virum illum partibus illis legationis causa direximus, ideo jubemus, ut locis convenientibus eisdem a vobis evectio simul et Humanitas ministretur, hoc est veredos seu paraveredos tantos, panis nitidi modios tantos, vini modios tantos, cerevisiae modios tantos, lardi libras tantas, carnis libras tantas, porcos tantos, porcellos tantos, vervices tantos, agnellos tantos, aucas tantas, fasianos tantos, pullos tantos, ova tanta, olei libras tantas, gari libras tantas, mellis tantas, aceti tantas, cumini libras tantas, piperis tantas, costi tantas, garioffi tantas, spici tantas, cinamomi tantas, granimastice tantas, dactylas tantas, pistacias tantas, amandolas tantas, cereorum libras tantas, salis tantas, olerum, leguminum carra tanta, faculas tantas, itemque victum ad caballos eorum, foeni carra tanta, suffusi modios tantos, haec omnia diebus tam ad ambulandum, quam ad nos in Dei nomine revertendum unusquisque vestrum locis consuetudinariis, eisdem ministrare et adimplere procuretis, qualiter nec moram habeant, nec injuriam perferant, si gratiam nostram optatis habere.

¹⁾ l. 9. C. Th. de Curiosis.

²⁾ l. 53. C. Th. de C. P. Superducere est ultra stationem proximam ducere. l. 25. ejd. tit. vetat quemquam, cujusunque dignitatis fuerit, Cursu utentem ab itinere recto viae publicae quingentis passibus devertere.

³⁾ l. 7. C. Th. de diversis Officiis. (VIII. 7.), l. 42. 46. 65. C. Th. de C. P.

⁴⁾ l. 36. C. Th. de C. P. — Ordo dignitatum hic erat: Illustrissimatus, Spectabilis, Clarissimatus, Perfectissimatus, Egregiatus.

oppidis Curiales, ¹⁾ etiam Decuriones, mancipatum gerebant. In quibusdam regionibus, velut per Aegyptum, *antiqua ex consuetudine inducta*, ²⁾ publici Cursus exhibitio semper *Curialibus viritim per Curias, pensata locorum, hominum, facultatum qualitate* distribuebatur. Mancipes assidue in statione sua adesse, saltem perraro et in breve tempus ex ea discedere debebant. ³⁾ Haec in universum de Mancipibus referuntur. In iis autem provinciis, ubi clabularis Cursus erat frequenter usurpatus, peculiare erant Cursus clabularis Mancipes, ⁴⁾ duntaxat in illis provinciis, ubi hic non a fisco, sed a provincialibus exhibebatur. ⁵⁾ Praeter hos etiam Praefecti vehiculorum memorantur, qui altiori gradu positi imperium quoddam in Mancipes stationum videntur exercuisse.

Hi Mancipes omnes sub Praesidibus provinciarum constituti eorumque imperio subditi erant, ita tamen ut si quid ab illis imperaretur Principum edictis contrarium, Cursui aut provincialibus damnosum, legi potius quam Praesidis voluntati obtemperare deberent. ⁶⁾ Praesides et ipsi, in quacunque mansione aderant, Evectiones inspicere et subnotare debebant atque curare, ⁷⁾ ut Mancipes cum familiis munia sua accurate implerent. Praesidis erat mansiones instaurare, ⁸⁾ aedificia sarta tecta servare, horrea rebus necessariis instruere, denique videre, ne quid Cursui publico illegitima usurpatione et insolentia commendantum damni inferretur. In eos qui inferiori loco constituti Officiales, Municipales vel Munifices erant, si quid contra leges commisissent, sine Evectione cursum usurpantes aut Evectionis seriem transgredientes, Praesides ipsi animadvertere poterant, Promotorum autem seu in Dignitate constitutorum, in quos ipsis iudicium non competeat, nomina ad Principem vel ad Magistrum Officiorum referebant. ⁹⁾ Supra Praesides positi erant Vicarii, qui aliquot provinciis,

¹⁾ l. 26. C. Th. de C. P.

²⁾ l. 51. C. Th. de C. P.

³⁾ l. 36. C. Th. de C. P.

⁴⁾ l. 23. C. Th. de C. P.

⁵⁾ l. 26. C. Th. de C. P.

⁶⁾ l. 15. C. Th. de C. P.

⁷⁾ l. 22. C. Th. de C. P.

⁸⁾ Symmachi Ep. II. 27.

⁹⁾ l. 1, 2, 8. et al. Th. C. de C. P. Nonnunquam Imperatores magistratum ipsum leges transgressum multare non audentes, multam Officio ejus indicunt, l. 56. ibid. Praeterea magistratus raro solus, sed semper fere simul Officium ejus multatur; velut lege 27. ej. tit.: ad Remistheum, Ducem Armeniae:

denique Praefecti Praetorio, qui toti dioecesi praeerant. Summa autem in Cursum publicum potestas ad Magistrum Officiorum pertinebat, qui totum regebat Principique, si quid novi lege sancendum esset, suggerebat.

Tamen Mancipum tutela detrimentis a Cursu publico propulsandis sufficere non visa est, quum Praesides maximam anni partem administrationis et jurisdictionis negotiis districti in praetoriis residentes semelque tantum quotannis in Transitu provincias suas percurrentes, quid per reliquum anni tempus in mansionibus et mutationibus singulis ageretur, haud facile comperire possent. Itaque primo ex Officialibus Praefectorum Praetorio aut Vicariorum *primipilaribus*, hoc est, propter labores et merita primum locum obtinentibus, in stationes mittebantur, qui *Evectiones* inspicerent et Cursui publico invigilarent, simul et *Curas agerent*, hoc est, observarent et scrutarentur, si quid in vicinitate contra leges vel contra rempublicam gereretur, qui reos *eruerent* et magistratuum municipalium ope ad Judicem seu Praesidem perducerent. Hi Stationarii, Regionibus praepositi, Regionarii, nonnunquam et Curiosi appellabantur, quia hanc *curarum agendarum* partem cum *Curiosis* e Palatio et quidem ex primipilaribus Scholae Agentium in rebus in provincias missis communem habebant. Sed paulo post Constantini M. tempora apparuit, illos Officiales Praefectorum Praetorio et Vicariorum haudquaquam idoneos esse, quorum auctoritas, obstante eorum necessitudine cum Praefectorum, Vicariorum et Judicium Officiis, minime sufficeret ad Cursum ab usurpantium, dignitate plerumque superiorum, impotentia et insolentia tuendum, neque ad Curas agendas. Itaque Constantius decrevit, ut rejectis Praefectianis et Vicarianis Curiosi ex solis primipilaribus Agentium in rebus a Magistro Officiorum in provincias mitterentur. Nec vero multos esse per singulas provincias voluit, quippe *sufficere, duos tantummodo Curas gerere et Cursum publicum gubernare.*¹⁾ Curiosi *pervigili diligentia providere* debebant, *ne quis citra Evectionis auctoritatem moveret Cursum vel amplius postularet, quam Evectio concessisset: ne*

Repetita lege sancimus, ne Experientiae Tuae posthac prorsus sit licentia aut evectiones facere, aut sine evectionibus nostris facultatem cursus publici vindicare. Cujus rei temeritatem si posthac Laudabilitas Tua crediderit esse repetendam, scias a te X. libras auri, X. etiam ab Officio, quod tuis jussionibus obsecundat protinus exigendas, etc. (Arcadii, a. 397.)

¹⁾ l. 2, 7, 10. C. Th. de Curiosis.

habens unius copiam rhedae, flagitaret duas, aut rhedam usurparet, cui birotum postulare vel clabulare permissum esset: ne rhedarum magnitudo justam mensuram excederet: ne veredis et vehiculis iniqua pondera imponerentur. Sub Arcadio non jam bini, sed singuli tantum in singulas provincias missi sunt: scilicet unus vultur sufficere videbatur. 1) Denique Curiosus emolumenta quaedam e Cursu percipere solebant in iis provinciis, ubi Cursus a provincialibus exhibebatur, singulos solidos per singulas rhedas: quod Imperator invitus concessit, concussionibus eorum aliter occurri non posse ratus. 2)

Atque haec fere sunt, quae de Cursu publico ordinatione ex antiquis monumentis colligi possint: speciosa satis quibusque per illa tempora laudatores non defuere. At in illis ipsis haud pauca sunt, quae legenti suspicionem moveant, non omnia fuisse laude digna, neque semper Augustorum edictis sic obtemperatum, ut provinciales, sumptu in Cursum publicum facto acerbe multati, non etiam praeterea multimodis vexarentur. Quam suspicionem egregie confirmant Imperatorum verba: *magna provincialibus inferri mala: pasci avaritiam nonnullorum, provincialium patrimonia fortunasque lacerari: avaritiae custodum occurri paene jam non posse: 3)* haec taliaque Imperatores ipsi non sine dolore fatentur. Consona his produnt historiarum scriptores: *Quod equidem munus (Cursus publici) in pestem orbis Romani vertit posteriorum avaritia insolentiaque. Boni malique in republica nihil est, quod in diversum traduci nequeat moribus Praesidentium. 4) Vehiculariae rei jacturae ingentes, quae clausere domos innumeras. 5)* Duo potissimum his querimoniis declarantur: Cursum publicum crebro ac multis locis damnose fatigatum, provinciales autem, quorum collationibus aleretur, animalium et pabulorum exactio- nibus concussos, insuper Praepositorum insolentia et avaritia nefarie vexatos esse.

1) Ex Africa ab Honorio a. 414. remoti sunt Curiosus, qui ex collecta provincialium praeda ad majores militias festinant. l. II. C. Th. de Curiosis. Nullum isti homines nequissimi artificium intentatum relinquebant, quo ex Comitatu in provincias ad Curas agendas et Cursum regendum, tanquam ad auri fodinam mitterentur. Facete Libanius eos non *κορυφίστους*, sed *πενθήνας* appellat.

2) l. 5. C. Th. de Curiosis.

3) l. 3, 7. 15. C. Th. de C. P. l. 5. C. Th. de Curiosis.

4) Aurel. Vict. de Caesar. c. 13.

5) Ammian. Marc. XIX. 11, 3.

